



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. V. De Causâ finali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

fectus illius, & sine introductione formæ nouæ, quæ est causa.

SECTIO V.

De Causâ finali.

SUBSECTIO PRIMA.

Definitio & diuisio Finis.

⁴⁵ FINIS in presenti accipitur, iuxta Aristotelem, pro eo cuius gratia fit aliquid, vel propter quem aliquid fit: sicut sanitas est finis medicinæ, quia medicina propter sanitatem amatur.

Aduerte, voluntatem, quodcumque amat, vel amare propter se, vel propter aliud; id est, vel sistere in illo obiecto, vel illud ordinare ad aliud. Id in quo sistit, dicitur finis; quod verò ordinatur ad aliud, dicitur medium.

Aduerte deinde, posse idem obiectum esse simul & medium & finem, v.g. cum quis amat potum, quia delectabilis, sub quâ ratione est finis; & quia utilis ad sanitatem, sub quâ ratione est medium. Idem potest in aliis obiectis contingere: & ratio est, quia in eodem obiecto possunt coincidere, & bonitas honesta aut delectabilis, quæ constituit finem; & utilis, quæ constituit media.

⁴⁶ Finis diuiditur in finem cui, & in finem qui. Finis cui est persona cui amatur bonum: v.g. amo mihi sanitatem, ego sum finis cui; sanitas verò est finis qui, quia est bonum quod amo mihi. Vbi aduerte, finem qui amari amore concupiscentiæ, quia amatur alteri; finem autem cui amari amore amicitiae, seu benevolentiae. Hic poterat esse dissidium cum Gabriele, vtrum finis qui sit necne propriè finis; negat enim Gabriel, posse dici propriè finem, quia non sistitur in illo, sed in personâ cui amatur: ideo enim amo sanitatem, quia amo me ipsum cui est bona sanitas, ergo vltimò sisto in me ipso, & non in sanitate, ergo sanitas non est propriè finis. Quæstio hæc solum est de voce: certum enim est quod docet Gabriel, sanitatem amari propter personam cui est bona, & in hoc non potest esse dissidium de re; ceterum ad hoc vt dicatur finis qui ex communi acceptione vocis finis, solum requiritur, vt res amata per se ipsam, & non per aliquid à se productum, sit bona personæ cui amatur; & in hoc differt à medijs, quæ non à seipsis, sed ratione alterius rei ab ipsis producta sunt bona personæ amate.

⁴⁷ Finis qui vltimò diuiditur in finem qui strictum, & in finem quo. Finis qui strictus dicitur res illa, quæ amatur alicui, vno autem illius rei cum personâ cui amatur, dicitur finis quo: v.g. beatitudo seu visio Dei, est finis qui omnium nostrum; vno autem huius visionis cum intellectu, est finis quo, quia illa vno est id quo possidetur ipsa visio, quæ est finis qui.

Deinde finis diuiditur in vltimum, & non-vltimum. Finis vltimus est ille in quo sistitur, v.g. sanitas est finis vltimus medicinæ, quia in eo sistit vltimò medicina. Finis non-vltimus propriè sunt media intermedia, v.g. scissio venæ, quæ est medium ad sanitatem, si comparetur cum alijs medijs ad ipsam prærequiritis, v.g. cum inquisitione & vocatione Chirurgi, potest etiam dici finis.

Finis non-vltimus propriè non est finis, vnde à 48 nonnullis nullatenus finis dicitur. Sed quæstio est de solo nomine, & parui momenti.

Rogabis, vtrum in medijs detur aliqua bonitas distincta à bonitate finis, an verò media præcisè dicantur bona per denominationem extrinsecam à finis bonitate. Respondeo, vtilitatem seu conducentiam ad finem esse intrinsecam ipsis medijs, neque illis provenire à fine, sed à propriâ naturâ mediorum: neque enim scissio venæ constituitur utilis ad sanitatem per ipsam sanitatem, sed id habet per se à propriâ naturâ. Ratio à priori est, quia ea utilis est quasi virtus causatiua eius effectus, seu finis: ostendi autem supra, in causis virtutem causatiuam non constitui per ipsum effectum formaliter, sed per entitatem causæ, cum respectu tamen seu ordine ad effectum; ergo vtilitas mediorum non provenit ab ipso fine formaliter, sed id habent ex se. Quod autem hæc vtilitas & conducentia, quæ reperitur in medijs, dicatur bona, provenit ex eo quod finis sit bonus: nam conducentia seu vtilitas ad malum finem, non potest dici bona, nisi lato modo. ergo quod vtilitas medijs dicatur bona vel mala, provenit ex eo, quod eius finis sit bonus vel malus. Et in hoc sensu intelligendi sunt, qui dicunt, bonitatem vtilem provenire medijs per extrinsecam denominationem à fine: nam si intelligantur non solum de vtilitate in quantum bona, sed de illâ absolute & simpliciter, omnino falsum est, eam provenire medijs, per extrinsecam denominationem à fine, vt probatum est.

SUBSECTIO SECUNDA.

De ratione formali causatiuâ finis.

⁵⁰ Non disputo, vtrum finis sit verè causa, de hoc enim infra agetur; sed quæ sit ratio, quâ finis in actu primo siue improprie siue proprie causat. Pro quo aduerte, voluntatem non posse ferri in incognitum, de quo in libris de Animâ. Et hinc nascitur ratio dubitandi, vtrum scilicet ipsa cognitio finis sit quæ mouet voluntatem, an verò finis ipse terminans cognitionem.

Quæstio hæc, ni fallor, magnâ ex parte est de solo nomine: nam de re dubitari nequit, cum quis amat sanitatem v.g. non amare cognitionem sanitatis, neque secare venam, aut sumere potionem amaram, propter cognitionem sanitatis, tum quia eam cognitionem iam habet de facto, tum quia ea media non sunt vtilia ad cognitionem sanitatis, tum quia ipsa cognitio sanitatis non proponitur reflexè voluntati, etiam si cognoscat ipsū finem; vnde ex cognitione præcisâ finis, non potest reflexè cognitionem amare; ergo quod amat voluntas, quod illam delectat, quod eam allicit vt quod, non est cognitio finis, sed finis ipse, qui est obiectum cognitionis, siue finis ille sit quid reale, siue quid fictum, apprehensum tantum vt bonum: nam sicut intellectus potest cognoscere ea quæ non sunt, ita & voluntas ea potest amare, & ab illis allici intentionaliter media cognitione, non tamquam re amata aut alliciente, sed tamquam conditione quasi applicante illud obiectum voluntati. Hæc quæ sunt de re omnino videntur certa; de nomine autem potest esse difficultas, vtrum cognitio dicenda sit ratio motiua,

an conditio, an causa formalis. Re intellecta, voca illam vt volueris, dummodò non dicas, ipsam cognitionis bonitatem esse quæ mouet & allicit voluntatem ad amorem sui. Benè dixeris, si cognitionem tantum vocaueris conditionem, non verò rationem formalem motiuam; est enim ea cognitio idem quod in causis physicis approximatio causæ ad passum, quæ pura est conditio.

- 52 Rogabis, vtrum cognitio finis, licet non alliciat & attrahat voluntatem ad se, alliciat tamen & attrahat ad amorem finis quasi impellendo voluntatem vt amet, non quidem vt amet ipsam cognitionem, sed obiectum illius.

Nonnulli recentiores affirmant, Primò, quia finis propriè non impellit voluntatem, sed attrahit ad se (impulsus enim est pellendo *extra se*, attractio verò è contrario est *ad se*) ergo finis attrahet, & cognitio impellet ad finem. Sed hæc ratio valdè debilis est, & quæ præcisè innititur allegorico cuidam modo loquendi, quod voluntas dicatur impelli ad finem, qui fortè non est in vñ, communiter enim solum dicitur attrahi ad obiectum. Quod si aliquando dicitur impelli, nihil aliud significatur, quàm extra se pelli voluntatem ad obiectum, siue per attractionem, siue per impulsum. Malè autem hi dicunt, obiectum attrahere, non verò mouere voluntatem, quasi trahere ad se non fiat mouendo voluntatem; tam enim moueo eum quem ad me attraho sicut magnes ferrum, quàm eum quem à me expello: ergo adhuc ex hoc modo loquendi nihil inferri potest pro his. Adde è contrario, præmissæ dicuntur impellere intellectum ad assensum conclusionis, cum tamen intellectus attrahat ad se obiectum, non verò pellatur ad illud; ergo ex his allegoriis nihil solidum deduci potest in Philosophia.

Secundò mouentur, quia si cognitio finis non esset causa impellens, sed pura conditio, non variaretur actus voluntatis circa finem, ex præcisâ variatione cognitionis, quod apertè falsum est: quò enim perfectiùs cognoscitur bonitas finis, eò magis attrahitur voluntas, vt in Beatis patet, qui ex clarâ Dei cognitione rapiuntur sine libertate ad amorem Dei. Confirmatur hæc doctrina exemplo præmissarum, quæ respectu conclusionis non se habent vt pura conditio, sed etiam vt motiuum, ergo idem erit de cognitione finis.

- 54 Neque hoc argumentum vrget: falsum enim est, ex variatione conditionis non variari effectum. quò enim maior est approximatio in causis physicis, eò perfectiùs & intensiùs illæ operantur, approximatio autem pura est conditio. Sed licet id verum non esset in approximatione locali, quia consistit in contactu physico cum passio, qui si sit rigorosus, non potest esse maior & minor; adhuc sunt aliæ conditiones, vbi idem possum ostendere. Nam carentia contrarij non est causa operans, sed conditio pura: certum autem est, citius & intensiùs operari causas si passum inueniant sine contrario, quàm si cum illo; & in approximatione intentionali, quæ fit per intellectum, res est clarior. Cum enim obiectum possit magis aut minus proponi voluntari, inde fit vt ex eâ maiori cognitione, solum tamquam ex meliori approximatione seu conditione, magis obiectum ipsum attrahat. Et ostendo in hoc non loqui consequenter hos Auctores, ipsi enim me-

ritò docent, id quod allicit, quod delectat voluntatem, nò esse cognitionem, sed obiectum ipsum, propositum per cognitionem; ergo (ita infero contra illos) quod magis delectat & magis attrahit, non erit cognitio, sed obiectum ipsum magis propositum per intellectum.

Neque contra hoc potest nobis obiici, in nostra sententiâ omnes formalitates ex parte obiecti attingi per quamcumque cognitionem, ergo obiectum semper est idem, ergo maior vel minor attractio oritur solum à maiori vel minori cognitione. Huic enim replicæ ego faciliè respondeo, etiam si ex parte obiecti verè nulla appareat noua vel maior bonitas, addo tamen, in ordine ad nos quasi apparere nouam bonitatem: sicut quando de aliquo cognosco esse rationale, quod antea non poteram dignoscere, videor nouam formalitatem, nouum prædicatum cognoscere, quod antea non noueram. neque ad hoc interet, an per præcisiones obiectiuas, an solum per formales id fiat. Dico ergo, illa noua vel maior bonitas, quæ ex perfectiori & clariori cognitione videtur de nouo apparere in obiecto, illa est quæ de nouo magis attrahit, non autem ipsa cognitio eam proponens, sicut hi ipsi & nos respondemus eis, qui argumentantur contra nos hoc modo: Aliquando obiectum in se nullam habet bonitatem vel malitiam, ergo quod attrahit voluntatem, non est ipsum obiectum, sed cognitio; respondemus (inquam) illis, etiam si obiectum nò habeat in se veram, habere tamen apparentem bonitatem, illamque esse quæ mouet; cognitionem autem esse conditionem vt appareat bonitas illa. Ita similiter, licet in obiecto verè non sit noua bonitas, quæ per clariorem cognitionem proponatur; quia tamen apparet quasi noua & maior, illam dico esse quæ magis mouet, & aliquando etiam necessariò, vt in Beatis, vnde prima petebatur confirmatio.

Secunda confirmatio ex præmissis desumpta, eodem modo soluitur: dico enim, connexionem illam quæ ex parte obiecti apparet inter prædicatum & subiectum, necessitare vel inclinare intellectum ad assensum, præmissas autem se habere vt conditionem.

Hanc recentiorum sententiam, quam leuibus niti fundamentis ostendi, reiciunt aliqui, eò quod per id constituitur finis causans in actu primo, per quod de facto causat in actu secundo: sed non causat propter cognitionem, quia media non amantur propter cognitionem, sed propter obiecti bonitatem, ergo cognitio non se habet vt causa, sed vt pura conditio. Hæc ratio non est contra Auctores prædictæ sententiæ, qui (vt supra diximus) non volunt, cognitionem esse id, propter quod media eligimus, sed præcisè contendunt, eam impellere & inclinare voluntatem ad amorem finis, & quidem non efficienter, supponunt enim ipsi, cognitionem non concurrere efficienter ad amorem. Possunt ergo argumento respondere, finem dupliciter cautare: vel tamquam id propter quod aliquid fit, & ad hoc cognitionem solum esse conditionem; vel tamquam id quod inclinat & impellit voluntatem, idque provenire à cognitione vt causâ formali.

Ego in hoc toto puncto Primò censeo, influxum effectiuum non tribuendum cognitioni, in quo cum his conuenio, & de quo alibi. Secundò, sine

De Causâ materiali, formali, finali & exemplari. SECTIO VI. 355

sine inclinatione seu influxu formali ex parte ipsius cognitionis, posse difficultatem hanc intelligi, ut ex solutione argumentorum clarè ostensum est. Tertiò, posse probabiliter dici, cognitionem formaliter per se ipsam esse quasi quoddam pondus, quod voluntatem aliquo modo ad amorem propellat, ad modum quo de habitu voluntatis suo loco dicemus, illum in genere causæ formalis inclinare voluntatem. Ita tamen hæc dicta putes, ut præcipua attractio intentionalis ab ipso obiecto sit, ut dixi suprâ. Neque video in hoc modo dicendi difficultatem aliquam, nisi fortè de voce, quam non adeò curo. Quomodo autem cognitio determinet voluntatem, fusiùs in libris de Animâ dicetur.

SECTIO VI.

De his quæ operantur propter finem.

HOMINES & Angelos operari propter finem, est extra controuersiam. De hominibus id suadet experientia, de Angelis paritas rationis. Est ergo difficultas de Deo, & de brutis, de quibus breuiter nonnihil dicemus.

SVBSECTIO PRIMA.

Deus operatur propter finem.

ET quod attinet ad Deum, Primò certum est, actus voluntatis ipsius Dei non fieri propter finem: quia cum eiusmodi actus sint idem cum essentia diuinâ quæ nullo modo fit, neque ipsos fieri certum est; vnde neque à fine fiunt, ergo volitio diuina, prout se tenet ex parte Dei, non habet causam finalem, sicut neque eius cognitio habet causam obiectiuam.

Sed potest hinc insurgere difficultas, vtrum scilicet, etsi volitio diuina non habeat propriè causam finalem, sicut cognitio illius non habet causam obiectiuam, nihilominus tamen eius volitio habeat propriè finem, sicut eius cognitio propriè habet obiectum formale. Neque enim videtur esse idem finis & causa finalis, sicut non sunt idem obiectum & causa obiectiua: causa enim finalis videtur includere dno, & esse id quod amatur propter se, & efficere aliquo modo amorem sui; sicut causa obiectiua intellectus dicit esse id quod cognoscitur, & alterius efficere cognitionem; finis autem solum dicitur esse id quod vltimò amatur, sicut obiectum formale solum dicitur esse id quod cognoscitur: Dei autem volitio, licet nullo modo causetur, ideoque non habeat causam finalem, verè tamen amat aliquod obiectum vltimò, ideoque videtur habere finem propriè. Fateor, si quis nomine finis præcisè intelligeret obiectum vltimò amatum, posset dicere, Deum habere propriè finem: verum, quia in quæstione de nomine, standum est communi acceptioni, & Philosophi communiter cum Aristotele pro eodem vsurpant finem ac causam finalem, dicendum est, actus voluntatis diuinæ propriè non habere finem, quia nec causam finalem, etiam si eius cognitio habeat obiectum. Disparitas est, quia ex communi acceptione distinguitur obiectum à causâ obiectiua, finis autem non distinguitur à causâ finali.

Circa effectus autem diuinæ voluntatis est maior difficultas: illi enim propriè videntur fieri propter finem, id est propter ipsum Deum, iuxta illud Ecclesiastici, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* & iuxta illud Apocalypsis, *Ego sum a & o, principium & finis.*

Nonnulli recentiores, quibus acquiesco, affirmant, propriè operationes Dei ad extra habere causam finalem: qui modus loquendi confirmatur ex phrasi communi Scripturæ, Patrum, & Theologorum, absolute concedentium causam finalem effectibus diuinæ voluntatis, negantium eandem ipsis actibus diuinis: quod etiam Hurtadus defendit Disp. 13. de Animâ, §. 2.

Obiicies tamen contra nos: Finis solum est causa mediata respectu mediorum, respectu autem voluntatis est causa immediata; ergo si finis nullam habet vel exercet causalitatem circa voluntatem, non poterit exercere causalitatem circa media: sed nullus finis potest exercere causalitatem circa actus & voluntatem Dei, ergo nec poterit eam exercere circa opera, ab eâ voluntate causata; ergo neque ipsa opera Dei habebunt propriè causam finalem. Respondeo, de ratione finis solum esse, vt ob amorem illius aliquid fiat; ad quod non requiritur, vt ipse amor finis causetur à fine, sufficit enim si ab amore finis media causetur. Licet autem amor diuinus in se non causetur vilo modo, & consequenter amor ille non habeat propriè causam finalem, neque finem, quod idem est (vt suprâ dixi,) ob amorem tamen de Deo, & ab illo amore causantur verè creaturæ, vnde hæc propriè sunt propter finem amatum. Hinc nego obiectioni, necessariò requiri, vt aliquod medium sit propter finem, amorem de illo medio causari à fine; sufficit enim, si ille amor feratur in illum finem vltimò, ideoque etiam causet media. Idem dicendum est de ipsis effectibus creatis inter se, v.g. vocatio habet pro causâ finali conuersionem; ex amore enim conuersionis, Deus vocat hominem ad pœnitentiam, licet id fiat vnico actu, & qui (vt dixi) non causetur ab ipsâ conuersione, quæ hîc & nunc dicitur finis eius vocationis.

SVBSECTIO SECUNDA.

Quid de brutis.

GRAVIOR difficultas est circa bruta, an ea operentur propter finem. In quâ quæstione communis sententia negat, ea operari vilo modo propter finem. Ratio autem, quæ etiam communiter affertur, est, quia vt operentur propter finem, deberent comparare finem cum mediis, & discernere inter bonum, vtile, & delectabile; quod non potest fieri, nisi per discursum vel actum iudicij: vterque autem repugnat brutis, ergo & operari propter finem.

Hanc difficultatem lubet diligentius examinare. Et quidem duo possunt hîc disputari: vnum de re, alterum de modo loquendi, quæ oportet distinguere. De re potest esse quæstio, an hirundo v.g. dum paleas colligit, aquâ lutoq; permiscet, aliquid cogitet de nido, vel de ouis excludendis in nido; an verò præcisè proponatur ei bonitas in eâ collectione palearum, sine aliâ tunc ulteriori cogitatione. hæc est quæstio de re. De nomine

Gg 4

nomine